


Ad que peccata delenda venerit Christus?

non peccante: ergo. Confr. In statu innocentie fuit Ecclesia: ergo dicebat ordinem ad Christum, alias Ecclesia Christi non fuisset ab initio. 6. In statu innocentie matrimonium significabat conjunctionem Christi cum Ecclesia, intellige secundum carnem.

R. ad r. (Ibid. ad 2.) quod in ipso modo productionis rerum ex nihilo divina virtus inimita ostenditur. Ad perfectionem etiam Universi sufficit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum, sicut in finem; hoc autem excedit limites perfectionis nature, ut creatura uniaturo Deo in persona. Ad 2. (Ibid. ad 3.) R. naturam humanam per peccatum non esse factam capaciorrem gratie unionis, sed indigentiorrem; adeoque aptiorrem, ut in ea simul cum iustitia exerceretur summa misericordia. Porro, licet Deus semper impleat capacitatem creaturæ naturalem, non tamen semper capacitatem obedientialem, qualem habet creatura ad unionem hypostaticam: unde N. ultimam illationem. Nec inconveniens reputat S. Doct. ibidem, naturam humanam ad aliquid majus esse productam post peccatum; Deus enim permittit mala fieri, ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur ad Rom. 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Et hinc patet Responsio ad 3. Ad 4. R. communicationem actuali ad extrã Deo convenire per modum liberi, ut jam supra dictum est, adeoque nullum foret inconveniens, si de facto non se communicaret homini, sicut nec se communicavit Angelis. Est ergo solum de ratione summi boni, quod ipsi sic consentaneum se communicare, non actualis communicatio. Ad 5. R. quod, homine non peccante, Deus fuisset caput Ecclesie, cujus membra cum fuissent integra, ad invisibilem Verbi gubernationem sufficienter fuissent disposita. Ad confirmationem dico, in statu innocentie fuisse Ecclesiam materialiter tantum, & in potentia, in quantum persone illæ futuræ erant membra Christi, non tamen formaliter; quia ille status formaliter ut talis non pendebat a Christo venturo. Ad 6. R. verum esse Ant. Quia reverã futura erat Incarnatio, & hoc Deus præciebat, qui mulierem viro conjungebat. Si verò non fuisset peccatum, solum significasset unionem Dei cum Ecclesia secundum affectum, & charitatem.

Petes, utrum, non existente peccato, Verbum incarnatum fuisset vi alterius decreti? R. id incertum nobis esse, ut jam diximus, cum nullibi id nobis revelatum sit, pendeatque ex mera Dei voluntate. Nec sufficit quasdam asserere congruentias, quia divina voluntas utpotè liberrima illis congruentiis non stringitur. Item, ut bene advertit Contensonus, quando Theologi asserunt congruentias divinatorum operum, non tam sunt accipiendæ ut convenientie operis faciendi, quam operis facti: quia etsi opus illud factum non esset, ejus negationis non deessent convenientie: v. g. quod Deus noluit assumere naturam Angelicam, conveniens est; & tamen, si eam dignatus fuisset assumere, non deessent convenientie. Prima ergo convenientia operis alicujus faciendi est executio divinæ voluntatis; quam impleri summè decet, & cui, si oppositum decrevisset, rationes non defuissent. Ita laudatus Theologus.



DISSERTATIO VI. DE QUIDDITATE INCARNATIONIS, SIVE DE IPSA UNIONE HYPOSTATICA.

Div. Thom. Quest. 2.

ARTICULUS I.

Utrum unio Verbi incarnati facta sit in natura, vel in Persona?

Natura hic sumitur (Q. 2. art. 1. o.) pro perfecta rei essentia, quæ definitione essentiali explicatur; seu pro eo quod quid est: ita tamen, quod non intelligatur natura sola communis, sed etiam singularis, & individua, qualis est in Christo. Uniri verò in natura est sic uniri, ut ex unione resultat tan-

tum una natura, sicut ex corpore, & anima, ex materia, & forma, una tantum exurgit natura.

Persona est intellectualis nature, & incommunicabilis substantia. Uniri autem in persona est uniri personæ, non constituendo aliam personam ab ea, cui unitur; ac proinde unionem factam esse in persona, est, naturas sic fuisse unitas, ut unio seu unio terminata fuerit ad unam personam in utraque natura subsistentem.

Nestorius (Ibid. art. 6. o.) negavit, unionem nature humanæ, & divinæ in Christo factam fuisse in persona, seu ex hac unio-

Dico 1. (Ibid. art. 4. o.) Christus venit in mundum ad delenda omnia peccata, tam originale, quam actualia, principaliter tamen ad delendum originale. Prob. 1. pars auth. 1. Joann. 2. dicitur: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Cap. 1. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. Et sæpius alibi. Id expressè definit Concil. Tolet. 6. Can. 1. Addi potest Concil. Trid. Sess. 6. cap. 2. Prob. ratione. Deus venit, ut homines salvaret: ergo ut tolleret omnia peccata, non solum originale, sed & actualia, quæ sunt ad salutem obstacula.

Prob. 2. pars: (Ibid. in a. s. c.) 1. Ex illo Joann. 1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Quod exponens Beda juxta Gloss. ord. in hoc loco dicit: Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi. Prob. 2. (Ibid. o.) Christus venit principaliter ad delendum illud peccatum, quod est absolute majus: atqui tale est peccatum originale respectu actualis: ergo. Prob. Min. Licet peccatum actuale sit intensive majus, quia habet plus de voluntario; originale tamen est extensive majus, quatenus inficit totum genus humanum; actualis verò est proprium singularis persone: atqui peccatum, quod inficit totam naturam, est absolute majus eo, quod inficit singularem personam; quia ut dicit Philosoph. 1. Eth. 2. Bonum gentis divinius, & eminentius est, quam bonum unius. Ergo.

Dico 2. Existens solo originali peccato sine actualibus, vi presentis decreti venisset Christus. Solis autem peccatis actualibus existentibus sine originali, probabile est, quod non venisset vi presentis decreti. Prob. prima pars. Existente solo originali peccato sine actualibus, remaneret prima, & principalior ratio Incarnationis, ut modò dictum est: ergo. Confr. Ideò venit Christus, ut totam naturam, quæ in Adamo perierat, restauraret: atqui independentèr a peccatis actualibus tota natura per solum originale perierat, & a jure ad gloriam exiit: ergo. Prob. 2. pars. 1. Non existente originali peccato, principalior ratio Incarnationis non subsistit, ut dictum est: atqui, cessante sine primario, & principali alicujus operationis, cessat operatio: ergo. 2. Christus vi presentis decreti venit in carne passibili, & mortali; sed, non existente peccato originali, caro non fuisset passibilis, nec mortalis; ut enim ait Apost. Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: ergo vi presentis decreti, &c.

Dices contra 1. partem secundæ conclusionis. Peccata actualia integrant totale motivum Incarnationis cum originali, ut dictum est in 1. conclusione: ergo, illis non existentibus, non venisset Christus; deficiente enim motivo totali decreti, cessat ejus effectus. R. D. Ant. Peccata actualia, ut ab originali tanquam a fonte dimanant, & originantur, integrant, &c. C. Ant. Scorsim considerata, N. Ant.

Dices contra 2. partem. Quidam SS. Patres, inter quos Chrysost. hom. 3. in act. Apost. innuunt, Christum tantum facere animam, ut, si unus tantum homo peccasset, venisset tamen in mundum: ergo. R. Patres hoc modo loquendi nihil aliud velle, quam commendare immensum Christi amorem, & misericordiam in singulos homines, ratione cujus erat ita affectus, ut pro uno peccatore, si Deus ita voluisset, libenter vitam dedisset; sed hoc non probat, quod Christus vi presentis decreti venisset. An verò vi alterius decreti pro solis actualibus peccatis venisset, nos latet; quia non est revelatum.

unione resultasse unam personam, quæ simul esset Deus, & homo; sed dicebat, Christum esse personam creatam, atque purum hominem, cui erat unum Verbum divinum unione accidentali, seu morali: 1. Secundum inhabitationem, in quantum scilicet divinum Verbum habitavit in illo, sicut in templo; specialiori tamen modo, quam in aliis justis. 2. Per unitatem, seu conformitatem affectus, quatenus hominis voluntas semper erat conformis voluntati Verbi. 3. Secundum operationem, qua dicebat hominem illum fuisse divini Verbi instrumentum. 4. Secundum dignitatem honoris, quatenus honor exhibitus Filio Dei exhibebatur etiam filio hominis, non propter se, sed propter eum, cui conjunctus erat. Ex hoc falso principio sequebatur 1. Verbum non esse verè incarnatum. 2. Duas esse personas in Christo, unam divinam, alteram humanam; duos Filios, alterum Dei, alterum hominis. 3. B. Marianam virginem nec esse, nec dici posse matrem Dei, seu Theotocum; sed Christi tantum, seu Christotocon. 4. proprietates utriusque nature in Christo non posse de se invicem prædicari; sicut non posse dici: Deus est homo, homo est Deus, Deus est natus, passus, mortuus, &c. His contraria quandoque visus est verbotenus adstruere Nestorius, sed sensu suo hæretico, & juxta principium positum intelligebat, ut videbimus infra.

Eutyches, (Ibid.) ardentiori zelo Nestorium aversus, in extremum errorem ex imperitia impelgit, ut enim unitatem personæ in Christo pugnet contra Nestorium, unitatem etiam nature adstruxit; dixitque, quod, licet ante incarnationem, nature unionem fuissent duæ nature, post unionem tamen in unam coalescerint, sive utriusque confusione, & mixtione; sive conversione unius, nempe humane in divinam; sive compositione utriusque, tanquam partium imperfectarum. Qui ultimus modus tribuitur discipulis Eutychetis, & quem sequuntur Armeni, nimis literaliter usurpantes illud S. Athanasii: Sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus. Unde dicebat Eutyches, Christum esse ex duabus naribus, non in duabus; nec esse nobis constubantialem secundum carnem; Deitatemque passam, sepultam, &c. Facta historia, has hæreses spectantia discutimus in Digress. ad calcem hujus Dissertationis. Veritas Catholica, quæ totius Religionis nostræ est fundamentum, media est inter hos duos extremos errores; distinctionem naturarum contra Eutychem, unitatem personæ adversus Nestorium propugnat. Unde

Dico 1. (Ibid. art. 1. o.) Unio Verbi incarnati non est facta in natura; sicut natura divina, & humana non coalescerunt in unam, sed utraque inconflata, & impermixta mansit integra, uni personæ Verbi unita.

Dogma fidei est, definitum contra Eutychem in Concil. Chalced. act. 1. 4. & 5. Constantin. 2. Can. 7. & 8. & a S. Leone in celebri Epistola ad Flavianum, recepta, & probata in Concil. Chalcedon. Sicut profitemur universa Ecclesia in Symbolo, quod dicitur Athanasii: Unus autem, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

Prob. ex Scripturis 1. quæ passim agnoscunt Christum Deum, & hominem, seu duplicem esse in eo naturam. Ex veteri Testamento Baruch. 3. Hic est Deus noster... post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Isai. 9. Parvulus enim natus est nobis, & vocabitur nomen ejus. Deus fortis. Ibid. 45. Hæc dicit Dominus. post te ambulabunt, vinceti manibus pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur. verè tu es Deus absconditus. His, & similibus loquendi formulis aperte exprimitur Christus Deus, & homo. Confer articulum 1. præcedentis Dissert. Ex novo Testamento, Philipp. 2. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. En duplex forma, seu natura, Dei, & servi; distincta, non confusa. 1. Joann. 1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perpeximus, & manus nostræ contractaverunt, de verbo vita. En iterum duplex natura distincta, una divina de Verbo vita; altera humana, quæ oculis videtur, & manibus contractatur.

2. Scriptura Christo contraria tribuit, quæ uni nature convenire non possunt. 1. Quod sit natus in tempore; & tamen quod sit ab æterno: Mich. 5. Ex te (Bethlehem) mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus a diebus æternitatis. 2. Quod a nobis discedat, Joann. 16. & tamen quod nobiscum maneat in æternum, Matth. 28. 3. Quod de celo descendit, & in terra versatur, & tamen simul sit in celo, Joann. 3. 4. Quod Pater sit illo major Joann. 14. & tamen quod sit unum cum Patre ibid. Ro. hæc, & alia enuntiata de Christo ipsi convenire non possunt, nisi sit simul Deus, & homo.

Prob. ratione Auctoris (Ibid.) Tripliciter aliquid unum ex duobus, vel pluribus constituitur. Uno modo ex duobus integris & completis, perfectis remanentibus: quod quidem fieri non potest nisi in his, quorum forma est, vel compositio, ut acervus lapidum; vel ordo, ut exercitus; vel figura, ut domus ex multis Theol. Billuart. Pars Tertia.

lapidibus, & lignis. Secundo modo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixturum. Tertio modo, fit aliquid unum ex aliquibus non permixtis, & transmutatis sed imperfectis, & incompletis, sicut ex corpore, & anima fit homo: ex pluribus membris unum corpus constituitur. Atqui nullo ex his modis facta est in Christo naturarum unio: ergo. Prob. Min. Non 1. modo; tum quia iste modus unionis non est ad rem, sed potius pertinet ad errorem Nestorii, cum non sit unio substantialis, sed accidentalis; tum quia ex ejusmodi non sit unum simpliciter, sed secundum quid; remanent enim plura actu; tum quia forma talium non est natura, sed magis ars, sicut forma domus; & sic non constitueretur una natura in Christo, ut volunt Eutychiani. Non 2. modo; tum quia quæ mixtione ununtur, mutantur, & corrumpuntur, quod repugnat verbo; tum quia mixturum nulli inficibilium est idem specie, caro enim specie differt a quolibet elementorum: & sic Christus non esset ejusdem nature cum Patre, nec cum matre, nec Deus, nec homo; tum quia ex his, quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio; solvitur enim species unius eorum, puta si quis guttam aquæ dolio vini infundat. Et cum natura divina infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio, sed remanebit sola natura divina. Tandem non 3. modo; tum quia utraque natura divina, & humana est secundum suam rationem perfecta, & completa; tum quia natura divina, & humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus, quia natura divina est incorporea; neque per modum materiæ, & formæ, quia divina natura non potest esse forma alicujus præsentim corporis, a fortiori nec materiæ; tum quia Christus non esset nature neque divinæ, neque humanæ; differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum: ergo.

Dices circa 2. modum unionis: potuisse fieri in Christo transubstantiationem, seu conversionem nature humanæ in divinam, sicut panis in altari transubstantiatur in corpus Christi, licet sit incorruptibile. R. S. Thomam supposuisse, Eutychianos contra quos ibi agit, non intellexisse, nec prætidisse talem conversionem in alteram naturam, sed mixtionem in unam tertiam; & hoc probabilius est. Si tamen aliquando Eutyches, aut alii Eutychiani intellexerint transubstantiationem humanitatis in divinam. R. 1. hanc etiam involvere mutationem; corpus enim Christi per panis in ipsum transubstantiationem etiam mutatur secundum quid, quoad scilicet modum existendi; est enim sub speciebus, movetur, manducatur, &c. quo modo prius non erat: unde, licet sit incorruptibile, est tamen hoc sensu mutabile, & talis mutatio etiam Verbo repugnat. R. 2. quod post unionem Christus dictus sit, & fuerit homo verus, utpote qui natus sit, comederit, biberit, passus sit, & mortuus; & quidem verè, non phantasticè, alias ejus satisfactio, adeoque & redemptio nostra fuisset etiam phantastica, & non vera: ergo verè remansit natura humana, & non transubstantiata in divinam.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Unio Verbi divini cum natura humana facta est in persona Verbi, sic ut in Christo sit unica Verbi persona, unusque sit, & idem Dei, & hominis Filius. Est iterum fidei dogma, definitum contra Nestorium in Concil. Ephes. & confirmatum in Conc. Chalcedon. quod quæ universa profitemur Ecclesia in Symbolis fidei. In Symbolo Apost. Credo... & in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. In Symbolo Nicæno Credo... Deum verum de Deo vero... consubstantialem Patri... qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, & homo factus est. Quibus verbis profitemur Ecclesia, unum, & eundem, unam, & eandem personam esse Filium Dei, & hominis. Unde in Symbolo Athanasii: Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Insuper

Prob. ex Scripturis. 1. Juxta Scripturas Filius Dei factus est homo, non conversione divinitatis in carnem (insulsa foret hæc cogitatio) sed assumptione humanitatis in Deum. Joann. 1. Verbum caro factum est. Philipp. 2. Qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit. Galat. 4. Misit Deus Filium suum, factum ex muliere. Porro, si Filius Dei factus sit homo, non sunt ergo duo Filii Dei, & homo: ergo unus, & idem physicè, & personaliter, non moraliter tantum secundum affectum; amicus enim quantumvis intimus non dicitur factus alter, amicus; vel sanctus ferventissimo amore Deo junctus non dicitur factus Deus.

2. Scriptura uni, & eidem Christo tribuit proprietates utriusque nature divinæ, & humanæ, ut patet ex 2. probatione ex Script. præcedentis conclusionis: ergo vera est persona in duplici natura.

3. Ille, qui Joannis 6. dicebat: Ego sum panis vivus, qui de celo descendit, Joann. 16. Exivi a Patre, & veni in mundum. Joann. 10. Ego, & Pater unam sumus: Ille, inquam, qui hæc dicebat de seipso, erat homo, qui natus, circumcisus, flagellatus, passus, mortuus est: atqui, si duplex fuisset Christus, au-

aut in eo due personæ, non potuisset sic loqui sine mendacio: ergo. Prob. Min. Pronomen *Ego*, denominat personam loquentem, adeoque personam humanam, si sit in Christo; homo enim erat, qui sic loquebatur, ut dictum est; atqui falsum est, Christum ut hominem descendisse de cælo, exivisse a Patre, esse unum cum Patre, &c. Ergo.

4. Quando duo supposita, vel personæ distinguuntur, unum non dicitur alterum. Sic ista propositio: album est dulce, non est vera, nisi quia albedo, & dulcedo uniantur in eodem supposito, puta lacte; falsa autem foret, si intelligeretur de dalecedine, & albedine in diversis suppositis, puta in mele, & pariete: atqui vere dicitur de Christo: Deus est homo: homo est Deus; ut constat ex dictis, & ex illo r. Joann. 5. *Hic est verus Deus*: ergo Christus est unus in persona. Quantum ad SS. Patres, longa serie citantur ab Auctoribus. Vide, si lubet.

Prob. ratione. (*Ibid.*) Juxta fidem catholicam natura humana est verè, & realiter in hoc mysterio unita Verbo; atqui non in natura, ut probatum est: ergo in persona tanquam in termino unionis. Patet consequentia, quia nulla alia potest excogitari unio Verbi, nisi in natura, vel persona; unio enim per affectum, seu per eximiam gratiam personæ amatæ collatam, qualem Nestorius fingebat in Christo, non est propria Verbo, sed communis tribus personis, quia opera ad extrâ sunt toti Trinitati communia. Insuper hanc unionem Dei, & hominis Apostolus vocat exinanitionem, Philip. 2. Non est autem exinanitio Dei, quod creaturæ rationali uniat per gratiam, Prob. ab inconvenienti. Si sint due in Christo personæ, nulla est redemptio nostra. Nulla enim ex his duabus personis potuit nos a peccato redimere; non divina, quia non potuit pati, nec pro nobis satisfacere; non humana, quia non potuit conferre operibus suis satisfactorios valorem infinitum, qualis requirebatur ad Redemptionem nostram: ergo.

Consecrarium.

EX dictis colliges, B. Virginem verè, propriè, & catholice dici *Theotokon*, seu Deiparam, & non solum *Christotokon*, seu Christiparam, ut contendeat Nestorius: non quod genuerit divinitatem, aut Deum partum; quis ita desipit? sed quod generit hominem, qui est Deus. *Misit Deus*, inquit Apost. Galat. 4. *Filius suum factum ex muliere*; Et Rom. 1. scribit, *Filius Dei factum esse ex semine David secundum carnem*. Id etiam definitivè Concil. Eph. contra Nestorium; atque hac nomenclatura B. Virginem donarunt SS. Patres, Concil. Ephesino anteriores, S. Ignatius Epist. ad Ephes. S. Justinus in Dial. cum Triphone, S. Irenæus l. 3. cap. 31. Tertullian. libr. de prescript. cap. 13. S. Athanas. Orat. 4. contra Arian. S. Basilium hom. 35. de humana Christi gener. S. Gregor. Nazianz. Ep. 1. ad Clidonium, S. Hilar. l. 9. de Trinit. S. Ambros. libr. de Incarnat. c. 5. S. Chrysost. hom. 2. in Matth. S. Hieron. libr. contra Helvid. & alii plures.

Solvuntur Objectiones Eutyechianorum contra 1. Conclusionem.

Obj. 1. auctoritatem S. Cyrilli, cui potissimum innitebatur Eutyeches. S. Cyrillus, post unionem non agnoscit duas naturas, sed unam naturam Verbi incarnatam, vel unam naturam Filii incarnati. Ita Epist. 1. ad Successum, ubi ait: *Post unionem non dividimus naturas a se mutuo, neque in duas secamus filios, qui unus est, & indivisus. Sed unum dicimus Filium; quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam*. Similiter in Epist. ad Acacium Melitenensem: ergo.

Respondet S. Thom. (*Ibid. art. 1. ad 1.*) S. Cyrillus ita locutum fuisse contra Nestorium, duas in Christo naturas completas propriis subsistentiis seorsim gredientes assententem, & hoc sensu negat Cyrillus duas in Christo naturas, unamque adstruit, unitate scilicet personæ. Ita exponitur auctoritas Cyrilli in 5. Synodo generali act. 5. Sed, & notandum maxime, S. Cyrillum non dixisse simpliciter unam naturam, sed unam incarnatam: & hoc verissimum est, cum sola natura divina sit incarnata. Quin imò, cum dicit *incarnatam*, aperte significat carnem esse hypostatice unitam Verbo, adeoque a Verbo distinctam, quo permittit error Eutyechis. Hac expositione ipsemet Cyrillus in 2. Epist. ad Successum amolitur calumniam a suis illis vocibus.

Inst. S. Cyrillus dicit, naturas in Christo post unionem sola mentis consideratione distingui: ergo. Prob. Ant. Ep. 2. citata ad Successum, arguens Nestorianos, qui duas in Christo subsistentes naturas negabant, dicit, *illos ignorare quæcumque non sola mentis consideratione distingui solent, sed ea prorsus etiam in diversitatem distinctam omnifariam, ac privatim a se mutuo segregari*: ergo juxta S. Cyrillum ea diversa sunt, & a se mutuo segregantur, quæ non sola mentis consideratione distinguuntur. Subsumitur: atqui natura humana, & divina in Chris-

to non sunt divisæ, nec a se mutuo segregatæ, & separatæ, sed unitæ, ergo sola mentis consideratione distinguuntur. R. Sensum Cyrilli non esse, quod natura per unionem ita sint inter se permixtæ, ut una simpliciter remaneat; sed quod uniantur non sola affectione, aut habitudine, ut fingebat Nestorius, sed substantivo aliquo nexu, scilicet persona, unum per se faciente. Hunc esse sensum Cyrilli patet, tum ex eo quod contra Nestorium scribit, tum ab exemplo animæ, & corporis in homine quod adducit, quæ pariter sola cogitatione distingui assertit, quia seorsim non subsistunt: quamvis compertum sit, distinctam esse realiter corporis, & animæ substantiam.

Repones. Juxta Cyrillum cit. talis est unio naturæ humanæ, & divinæ in Christo, qualis est animæ, & corporis in homine. Sic etiam tradit S. Athanasius in Symbolo; *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus*. Atqui ex anima, & carne fit una natura in homine; ergo ex humanitate, & divinitate fit una natura in Christo. R. D. Maj. (*Ib. ad 2.*) Talis est unio naturæ humanæ, & divinæ in Christo, qualis est corporis, & animæ in homine, quoad aliquid, C. Quoad omnia N. Itaque ex anima, & corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturæ, & personæ: naturæ quidem secundum quod anima unitur corpori, ut forma formaliter perficiens ipsum, ita ut ex duobus fiat una natura, sicut ex actu, & potentia, vel materia, & forma; & quantum ad hoc non est similitudo, quia natura divina non potest esse corporis forma. Unitas verò personæ constituitur ex eis, in quantum est unus aliquis subsistens in carne, & anima; & quantum ad hoc est similitudo; unus enim Christus substituit in natura divina, & humana.

Obj. 2. Juxta Script. Joann. 1. VERBUM CARO FACTUM EST. Ergo divinitas conversa est in carnem. Probat. Conseq. Cum dicitur Joann. 2. in Cana Galilææ aquam factam esse vinum, significatur aquam conversam fuisse in vinum, ergo similiter. R. N. Conseq. Ad probat. N. iterum Conseq. Licet enim particula *Factum* aliquando importet conversionem, ut in casu nuptiarum, non tamèn semper aliàs sequetur, Christum esse conversum in maledictum, si quidem Galat. 3. dicitur *factus pro nobis maledictum*. Significat ergo sæpè acquisitionem vel assumptionem alicujus de novo: sic dicitur ad Hebr. 6. *Jesus Pontifex factus*, vel homo Rex factus, non per conversionem Jesu, aut hominis in dignitatem Pontificiam, vel Regiam, sed per hujus dignitatis assumptionem. Hoc ergo sensu dicitur VERBUM CARO FACTUM EST. Id autem constat non solum ex subjecta materia, quod impossibile sit divinitatem converti in humanitatem, sed ex verbis immediatè subsequentibus. *Et habitavit in nobis*. Nam, ut ait Chrysost. hom. 11. in Joann. *Id, quod habitat, non est idem cum eo, quod habitat, sed diversum*. Nam alterum habitat in altero, alioquin non esset habitatio; nihil enim in seipso habitat. *Ceterum alterum divini substantiæ, id est natura*.

Inst. 1. Juxta plures SS. Patres, Justinum Apolog. 2. Ambros. l. 4. de Sacramentis cap. 4. & alios, Verbum factum est caro, sicut panis in Eucharistia fit corpus Christi, atqui panis in Eucharistia convertitur in corpus Christi: R. SS. Patres pariter in hoc tantum intendere, quod sicut panis specibus panis, & vini est vera caro, & verus sanguis Christi, ita vera caro, & verus sanguis subsistat in Verbo.

Inst. 2. Juxta Apost. Philipp. 2. Filius Dei semetipsum exinanivit: ergo. R. seipsum exinanivisse, non conversione divinitatis in carnem, quod est impossibile, sed assumptione humanitatis, seu ut ibid. dicit Apost. *formam servi accipiens*; quæ exinanitione major in Deo esse non potest.

Obj. 3. Durum naturarum una non denominatur ex altera, nisi aliquo modo in invicem transmutentur, v. gr. lignum non dicitur ignitum, nisi sit in ignem conversum, atqui natura divina, & humana in Christo ab invicem denominantur; dicit enim Cyrillus supra naturam Verbi incarnatam; & Greg. Nazianz. in Ep. 1. ad Clidonium dicit, naturam humanam esse deificatam: ergo. R. (*Ibid. ad 3.*) has, & similes voces benigne esse intelligendas. Igitur, sicut dicit Damascenus l. 3. Orthod. fidei c. 6. *Natura divina dicitur incarnata, quia est unita carni personaliter, non quod sit in naturam carnis conversa. Similiter, & caro dicitur deificata, non per conversionem, sed per unionem ad Verbum, salvis suis proprietatibus naturalibus, ut intelligatur caro deificata, quia facta est Dei Verbi caro, non quia facta sit Deus*.

Obj. 4. Si in Christo essent due naturæ, Christus esset duos ergo. Prob. Sequela. Una natura, non obstante Trinitate personarum, facit unum Deum: ergo similiter due naturæ, non obstante unitate personæ, facerent duos Christos. R. N. Sequelam. Ad probat. N. Conseq. Disparitas est, quod ad multiplicationem creatorum substantialium requiritur multiplicatio naturæ, & suppositi. Porro, licet in Christo sint due naturæ, unicum tamen est Verbi divini suppositum, subsistentiæ humanæ vices supplens.

Obj.

Obj. 5. Plus Patres, Tertul. Apolog. c. 21. Aug. in Ep. ad Volus. S. Leon. serm. 3. de natali Dom. loquentes de Incarnatione, mixtionis nomen usurpare: ergo. R. cum Cyrillo. l. 9. adversus Nestorium cap. 31. quosdam Patres mixtionis nomen usurpasse, non eo quo sumitur sensu, cum liquores dicuntur misceri; sed ut *summam unionem ostenderent*. Id patet ex ipso Patrum textu.

Objiciebant insuper Eutyechiani auctoritatem Julii Romani Pontificis, duas naturas negantis in Epist. ad Dion. Corinthiorum Episcopum. Sed Leontius libr. de sectis act. 8. multas probat, illam Epistolam non esse Romani Pontificis. Et supposito quòd illius sit, respondet Eulogius Alexand. apud Photium codice 230. ipsam naturæ verum per personam usurpasse.

Solvuntur Objectiones Nestorianorum contra 2. Conclusionem.

Obj. 1. Persona verbi non est aliud a natura ipsius: ergo, si unio non sit facta in natura, sequitur, quòd non sit facta in persona. R. D. Ant. (*Ibid. a. 2. ad 1.*) Persona Verbi non est aliud a natura secundum rem, C. Secundum rationem, & modum significandi, N. Persona enim significat per modum subsistentis. Et quia natura humana sic unitur Verbo, ut Verbum in ea subsistat, non autem, ut aliquid addatur ei ad rationem suæ naturæ, vel ut ejus natura in aliud transmutetur, ideò unio naturæ humanæ ad Verbum Dei facta est, quatenus rationem personæ habet, & non naturæ; & sic in persona, & non in natura.

Obj. 2. Humanitas Christi est substantia; atqui de ratione substantiæ est, quod sit ens per se subsistens: ergo humanitas Christi per se subsistit, adeoque est persona humana. R. D. Min. De ratione substantiæ est, quod sit ens subsistens per se, perscitate excludente inhesionem alteri tanquam subjecto, C. Min. perscitate excludente subsistentiam per aliud tanquam per terminum, N. Est equidem de ratione substantiæ, quod sit capax subsistentiæ propriæ, & connaturali, non autem quod actu se subsistat: sed salvatur ratio substantiæ, si subsistat per aliam digniore substantiam sibi appropriatam, & supplementem vices propriæ. Sic, licet sit de ratione accidentis, quod petat existere in alio tanquam in subjecto, non tamèn quod actu inexistat, ut patet in accidentibus Eucharisticis.

Inferes. Ergo Christus non est perfectus homo. Prob. illatio. Subsistentia est perfectio, complementum naturæ; atqui ex dictis humanitas Christi caret propria subsistentia: ergo. R. N. Illationem. Ad prob. D. Maj. (*Ibid. ad 3.*) Subsistentia est perfectio, & complementum naturæ perficiens illam in ratione naturæ, seu essentie, N. Maj. Perficiens illam seu potius constituens illam in ratione personæ, & suppositi, C. In tantum enim personalitas pertinet ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem ejus pertinet, quod per se existat; quod in nomine personæ intelligitur. Dignus autem est alicui, quod existat in aliquo se digniore, quam quod per se existat. Et ideò ex hoc ipsa natura humana dignior est in Christo, quam in nobis.

Obj. 3. Persona est rationalis naturæ individua substantia. Atqui Verbum Dei assumpsit. Naturam humanam individuum; natura enim universalis non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur: ergo. R. (*Ibid. a. 2. ad 3.*) admitto definitionem personæ, & explicio. Itaque per individuum substantiam in definitione personæ intelligitur substantia, quæ seorsim per se existat, & sit incommunicabilis alteri, ut pars toti, vel ut natura supposito. Undè, cum humanitas Christi reipsa communicetur Verbo divino, nec in se seorsim existat, sed in aliquo digniore, scilicet persona Verbi, non est in Christo persona humana: est tamèn individua natura eo sensu, quo una numero natura est, & a reliquis distincta certis proprietatibus, & accidentibus.

Obj. 4. Generatio terminatur ad suppositum: seu personam, ergo, ubi sunt due generationes, sunt due personæ. Subsumo; atqui in Christo sunt due generationes, altera æterna ex patre, altera temporalis ex matre. R. N. Conseq. Idem enim suppositum ratione duplicis naturæ potest terminare duas generationes; quia, licet suppositum terminet generationem, ut quod, natura tamèn terminat, ut quo, seu ut terminus formalis, & specificus. Undè ad terminandam diversam generationem, sufficit realis distinctio naturæ duplicis cum distinctione virtuali suppositi, ut est in Christo. Quapropter suppositum Verbi quatenus subsistit in natura divina, terminat generationem æternam; quatenus autem subsistit in natura humana, terminat generationem temporalem.

Inst. Suppositum divinum non potest terminare etiam, ut quod generationem Christi temporalem: ergo. Prob. Terminus etiam, ut quod actionis non potest esse ante actionem; atqui suppositum divinum erat ante generationem temporalem: ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Maj. Terminus actionis formaliter sump-

Thes. Billuarr. Pars Tertia.

tus non potest esse ante actionem, C. Maj. Materialiter sump-tus, N. Maj. Ad Min. pariter D. Suppositum divinum erat ante generationem temporalem materialiter respectu generationis temporalis, C. formaliter, N. Suppositum igitur, seu persona Verbi non terminat formaliter generationem temporalem, prout est una ab æterno, sed prout est unita humanitati, ita ut unio seu generatio intelligatur modo nostro concipiendi præcedere personam Verbi, non prout est una, sed prout est unita humanitati.

Repones B. Virgo producendo Christum genuit hominem; atqui homo non importat solam naturam, sed naturam cum subsistentia: ergo. R. D. Min. Homo importat naturam cum subsistentia propria, vel aliena, C. semper propria, N. Patet ex dictis.

Replicabis. Terminus generationis divinæ est persona divina: ergo terminus generationis humanæ est persona humana R. N. Conseq. Disparitas est, quod persona divina utpotè infinita possit terminare generationem humanam, non e contra persona humana generationem divinam. Insuper potest dici, seu denominari in Christo persona humana, seu persona hominis, quatenus personat naturam humanam, eo sensu quo diceretur persona divina, quia personat naturam divinam; licet tamen entitative, & realiter sit tantum divina.

Obj. 5. S. Chrysost. hom. 3. in c. 1. Ep. ad Hebr. docet, ex illo Ps. 44. *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi*, ostendi esse in Christo duas personas, & Deum, & hominem. Et infra: *Quoniam due sunt personæ divine per hypostasim*. S. Leo in Ep. ad Flavianum dicit de Christo: *Unum horum convocat miraculis, aliud succumbit injuriis*. Atqui unum, & aliud, sive aliud, & aliud differunt supposito: ergo. R. ad 1. N. Ant. Nunquam enim dixit Chrysostomus, in Christo duas esse personas, sed simpliciter esse duas personas. Id autem dum dicit, loquitur respectivè ad Deum Patrem, & Filium incarnatum, non respectivè ad unum Christum. Patet cum ex contextu, tum ex scopo Chrysostomi; contendit enim ex Psalmita, & Apostolo confutare duplicem errorem Judæorum, circa Trinitatem, & circa Incarnationem, ostendendo Patrem, & Filium esse duas personas, & Christum esse simul Deum, & hominem, cum Judæi, & distinctionem personarum in Trinitate, & divinitatem in Christo negarent. Et sanè, si tam aperte Chrysostomus errorem Nestorii professus fuisset, & ipse Nestorius, & Joannes Antiochenus, & omnes Nestorii fautores, & amici, tantum patrociniis in sui erroris defensionem plenis buccis non semel advocassent, quod tamèn nullus fecit, nequidem missitandum, ad 2. (*Ibid. ad 1.*) R. Ly aliud, in rigore sump-tum, & alicui attributum in recto, v. g. *Christus est aliud, & aliud*, differre supposito, quatenus importat diversitatem naturæ, & suppositi. Si autem sumatur paulò latius, vel si tribuatur alicui in obliquo, v. g. in Christo aliud patitur, aliud miracula patrat, importat tantum diversitatem naturæ, non suppositi: hoc autem posteriori sensu intelligenda est auctoritas S. Leonis, & aliar, si quæ sunt aliorum Patrum.

Obj. 6. Ex eo quod in Scripturis tam Angeli, quam homines vocentur quandoquè Dii, quod sint veri Dii: ergo ex hoc quod Christus dicitur Deus, non sequitur, quod sit verè Deus. R. N. Conseq. Disparitas est, quod Christus in Scripturis vocetur Deus eo modo, ac Pater, æqualis Patri asseratur, eadem potestas, & virtus ac Patri tribuatur, ei eidem cultus ac Patri deferatur, & ab eo omnis inferioritas creaturæ removeatur, ut latè probavimus Dissert. Proem. de Trinitate art. 2. §. 2. vide ibi: quæ omnia probant veram divinitatem. At Angeli, homines figuratè vocantur Dii, propter excellentiam aliquam auctoritatem, seu gratiam, quam Deus illis contulit. Undè Ps. 81. ubi Judices vocantur Dii: *Ego dixi: Dii estis*, statim subjungitur: *Vos autem sicut homines moriemini*.

Obj. 7. Si una tantum sit in Christo persona, verum erit dicere: *Unus de Trinitate passus est*. Atqui id prohibuit Hermisdas Papa: ergo. R. D. Min. Id prohibuit, ut falsum, N. Ut intempestivum, C. Quia hæc propositio tunc erat nova, dissidiorum causa, propter pertinaciam quorundam Monachorum Scytharum, qui eam necessario esse inserendam definitioni Concilii Chalced. contendeabant. Sed postea dissidii sopitis hanc propositionem probavit V. Concilium generale Can. 4. & Joannes II. in Ep. Justinianum.

Obj. 8. varios loquendi modos SS. Patrum, quorum quidam Christum vocant *hominem Deiferum*, alii *Deificatum*, alii *Dominicum*; alii dicunt esse templum Dei, instrumentum divinitatis, hominem esse assumptum a Doo, &c. R. hos, & similes loquendi modos equidem fuisse reprehensos in Nestorio, quia non agnoscebat in Christo nisi unionem moralem divinitatis, & humanitatis. At in viris non suspectis erroris sanam, & catholicum sensum patiuntur. Sic Christus dicitur homo Deifer, Deificatus, Dominicus, propter accuratissimam unionem hypostaticam inter divinitatem, & humanitatem. Dicitur Tem-

D a plum

plum Dei, non sensu Nestorii, sicut Sancti dicuntur templum Dei per gratiam; sed sensu Apostoli Coloss. 2. in quo scilicet inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter per unionem hypostaticam. Dicitur instrumentum divinitatis, non separatim, sed conjunctum. Dicitur, hominem esse assumptum a Deo, assumpto concreto pro abstracto, id est, humanitatem esse assumptam.

Obj. 9. contra Consectarium. B. Virgo non genuit divinitatem: ergo non est Mater Dei: R. N. Conseq. Ut enim sit, & dicatur Mater Dei, sufficit quod genuerit illum, qui est Deus: sicut ut mulier dicatur mater hominis, sufficit quod generet eum, qui homo est, licet non generet, quod in homine est precipuum, scilicet animam.

Inst. B. Virgo nec est, nec dici potest mater Verbi divini: ergo nec Filii Dei. Pater Conseq. Quia Verbum divinum est Filius Dei. R. omisso Ant. N. Conseq. Disparitas est, quod To Verbum formaliter significet terminum generationis aeternae per divinum intellectum. At To Filius significat indifferentem terminum generationis, sive aeternae, sive temporalis. Omisi Ant. Quia multi promiscue, & sine scrupulo vocant B. Virginem matrem Verbi, sicut matrem Dei; & sensu Catholico, intelligendo scilicet materialiter, quod sit mater illius, qui est Verbum Patris.

Urgebis. Mater debet esse consubstantialis suo filio; atqui B. Virgo non est consubstantialis Christo: ergo. R. D. Maj. Mater debet esse consubstantialis filio ex parte, C. Maj. Ex toto, N. Maj. Ad cuius sensum distincta Min. N. Conseq. Huius quidem rei exemplum non habemus in natura; quia mysterium est singulare, & si exemplum constaret, singulare non foret, ut ait Aug. Ep. 2. ad Volus.

S. Thomas art. 3. sequenti quaerit, utrum unio sit facta in hypostasi, sive supposito, contra quosdam, qui distinguunt personam ab hypostasi fatebantur, unionem esse factam in persona, sed non in hypostasi. Sed, cum nunc certo constet, personam nihil aliud addere supra hypostasim nisi determinatam naturam, scilicet rationalem, adeoque in rationali natura hypostasim, suppositum, & personam esse unum, & idem, haec quaestio resoluta manet ex praecedenti.

ARTICULUS II.

Utrum Christus sit persona composita.

Christus est nomen personae, non secus ac Petrus. Unde quaerere, utrum persona Christi sit composita, seu utrum Christus sit persona composita, est quaerere, utrum Christus sit compositus.

SS. Patres, ut tuerentur fidem Catholicam contra errores Nestorii, & Eutycheis, dixerunt, personam Christi esse compositam ex duabus naturis: quia, cum persona importet officium subsistendi, si persona sit simplex in ratione, & formalitate personae, erit etiam unum simplex officium personandi, seu subsistendi; & sic post incarnationem vel remaneret una natura, ut volebat Eutyches; vel forent duae personae duplicem naturam personantes, inter se accidentaliter, seu moraliter compositae, & unitae, ut volebat Nestorius.

Compositio potest sumi dupliciter. (In 3. d. 6. q. 2. a. 3. o.) 1. Pro unione extremorum in aliquo uno communicante esse extremis unitis; & haec non involvit imperfectionem. 2. Pro unione partium, ex qua causatur, & resultat esse totius; & haec importat imperfectionem, scilicet quod esse totius sit causatum, & dependens a partibus. Pars, proprie, & stricte sumpta, est ens incompletum, ex cuius unione cum altero ente incompleto causatur totum, quod est perfectius qualiter parte. Extremum autem, abstractum ab hoc, quod sit ens completum vel incompletum. Loquendo itaque de compositione primo modo supra.

Dico. (Ibid. art. 4.) Christus est Persona composita ex duabus naturis, divina, & humana. Prob. 1. ex Conciliis. In 6. Concilio Generali Act. 11. legitur: Unam eius subsistentiam compositam dicimus. Idem fuerat antea definitum in 5. Synodo Generali can. 4. & postea in Lateran. sub Martino I. can. 8. 2. Ex Patribus: Damascenus l. 3. Orthod. fidei c. 4. dicit: In Domino duas quidem naturas, aut unam divinatam personam ex utrisque compositam, agnoscimus. Item l. 4. c. 5. Pro eadem sententia citatur D. Dionysius c. 1. de divinis nomin. Aug. l. 13. de Trinit. c. 17. Gregor. Hom. 38. in Evang. & alii.

Prob. 3. (Ibid.) ratione. Persona Christi, licet secundum quod est in se, & ut ab aeterno in propria natura subsistit, sit simplex, sicut ipsa natura, a qua non distinguitur realiter; atamen formaliter, prout est in Christo, non solum naturam divinam terminat, sed etiam humanam, in illisque duabus unitis subsistit: ergo est in Christo ex illis composita. Pater Conseq. ex praenotaminibus; quia illud dicitur compositum, quod

constat ex pluribus realiter distinctis, & unitis, quibus esse communicat.

Hinc colliges, Christum verè etiam dici compositum ex persona Verbi, & natura humana; qui etiam constat illis realiter distinctis, & unitis: imò immediatè natura humana unitur nisi mediante persona, ut dictum est. Non potest tamèn dici compositus ex alia, & alia ratione subsistendi; quia, cum ista diversa ratio subsistendi non sit, nisi diversa habitudo ejusdem subsistentiae ad diversam naturam, adeoque relatio, & quidem rationis ex parte Verbi, non potest fieri ex his compositione maxime substantialis, qualis est, de qua agimus, utpote quae debeat esse extremorum realiter distinctorum, & substantialium unio.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Persona Christi est ipsamet persona Verbi; atqui persona Verbi non est composita: ergo. R. D. Maj. Persona Christi est ipsamet persona Verbi, ut subsistens in sola natura divina, N. Ut subsistens in natura divina, & humana, C. Ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Plus ergo dicit persona Christi, quam persona Verbi; licet enim sit eadem utriusque entitas, tamen post incarnationem non habet solum officium terminandi naturam divinam, sed etiam humanam, undè est simul persona Verbi, & hominis.

Obj. 2. Omne compositum constat ex partibus; atqui neque persona, neque natura divina potest esse pars: ergo. Maj. pater; quia compositum est quoddam totum, totum autem constat ex partibus. Min. etiam pater, quia de ratione partis est, quod sit ens incompletum, adeoque quid imperfectum. R. D. Maj. Omne compositum constat ex partibus strictè sumptis pro entibus incompletis, N. Ex partibus latè sumptis pro entibus completis, unitis in aliquo uno communicante esse illis C. Pater ex notaminibus. Ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq.

Inst. 1. ad rationem compositionis substantialis requiritur, quod unum componentium habeat se per modum actus, aliud per modum potentiae; atqui neque persona, neque natura Verbi habet se per modum actus, aut potentiae: ergo. R. D. Min. Neque persona, neque natura Verbi habet se per modum actus informantis, C. Min. per modum actus terminantis, & sustentantis naturam humanam, quae se habet per modum potentiae, N. Min. Et hoc sufficit, ut persona Christi dicatur composita.

Inst. 2. Omne compositum est perfectius suis partibus, seu extremis componentibus; atque Christus non est perfectior Verbo: ergo. R. Majorem esse veram tantum, quando neutrum componentium est infinitum; hic autem natura, & persona Verbi est infinita, & ideo eminenter continet omnem perfectionem alterius componentis, & compositi.

Inst. 3. Omne compositum majus est qualibet parte, seu extremo componente; atqui id non potest dici de Verbo, quippe quod involvat imperfectionem: ergo. Pater Maj. quia compositum non dicit unum tantum extremum, sed utrunque: ergo. R. D. Maj. Omne compositum est majus extensive quolibet extremo componente, C. Maj. propter rationem allatam in probatione. Est majus intensive, id est, perfectius, N. propter rationem allatam in praecedenti solutione.

Inst. 4. Compositum est saltem natura posterius suis componentibus, fit enim ex illis; atqui persona Christi non est posterior componentibus: ergo. Prob. Min. Persona Christi est ab aeterno: ergo. R. N. Min. Ad prob. D. Ant. Persona Christi materialiter, seu ut subsistens in sola natura divina, est ab aeterno, C. Ant. formaliter, seu ut subsistens in utraque natura divina, & humana, N. Ant. ut sic enim non est ab aeterno, sed a tempore incarnationis.

Obj. 3. Si Christus dicatur, & sit verè compositus, Deus etiam dicitur, & erit compositus; falsum Consequens: ergo, & Ant. Prob. Sequela. Quidquid dicitur de Christo propter communicationem idiomatum, dicitur etiam de Deo v. g. Deus est homo, homo est Deus: ergo. R. N. Sequela. Ad prob. D. Ant. Quidquid dicitur de Christo ratione humanitatis vel divinitatis seorsim sumpta, dicitur de Deo, C. Ant. sic v. g. quia dicitur de Christo, quod sit homo, natus, passus, dicitur etiam de Deo. Quidquid dicitur de Christo ratione utriusque simul, seu de Christo reduplicative, prout est aggregatum ex utroque resultat, dicitur de Deo, N. alius diceretur etiam de Deo quod duabus naturis constat. Ly Compositus autem dicitur de Christo reduplicative, ut est quoddam aggregatum ex utraque natura, divina, & humana.

Inst. Non potest dici de Christo simpliciter, quod sit creatura, sed tantum cum addito, scilicet quatenus est homo: ergo nec quod sit compositus. R. N. Conseq. Disparitas est, quod esse creatum convenire possit, & personae, & naturae; juxta autem regulam Dialecticæ, quando aliquid praedicatum potest

convenire toti, & parti tantum conveniat, non dicitur de subiecto simpliciter, sed cum addito; v. g. non dicitur simpliciter de Aethiopo, quod sit albus, sed cum addito, secundum dentes. At verò esse compositum convenire non potest Christo, nisi ut cuicumque aggregato, seu ut subsistenti in duabus naturis.

Dices contra Corollarium, Persona Verbi est medium, in quo natura divina, & humana ununtur; sed medium, in quo extrema ununtur, non est extremum componens: ergo. R. N. Min. Nihil repugnat enim, id quod est medium sub una ratione, esse sub alia etiam extremum componens. Sic v. g. quantitas est medium, quo albedo unitur parieti, & etiam est id, quod unitur, & albedini, & parieti.

Repones: Deus non dicitur compositus ex personis, & natura: ergo nec Christus ex persona, & natura humana, R. N. Conseq. Disparitas est, quod personae divinae inter se non ununtur, sed potius opponuntur; neque etiam cum natura, quia sunt simpliciter unum, & idem cum illa.

ARTICULUS III.

Utrum unio naturae divinae, & humanae sit aliquid creatum? si ve utrum detur nexus medius formalis inter utrumque?

Nota, unionem posse sumi tripliciter. 1. Pro ipsa actione unientis; & sic dicitur unio potius, quam unio. 2. Pro eo quod formaliter extrema conjungit, sive sit quid ab eis distinctum, sive non. 3. Pro relatione, quae de ipsa conjunctione resultat inter extrema. De unione, primo modo sumpta, non est difficultas modò; constat enim eam esse quid increatum, utpote actum intellectus, & voluntatis divinae formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. De unione, tertio modo sumpta, constat etiam esse aliquid accidentis ab extremis unitis distinctum, nempe relationem realem ex parte humanitatis, & relationem rationis ex parte Verbi. Tota difficultas est ergo circa unionem, secundo modo sumptam, seu circa fundamentum istius relationis, an sit aliquis nexus medius substantialis formaliter uniens naturam humanam Verbo. Hoc volunt Scotus, Suarez, Vasquez, & alii etiam quidam ex Thomistis: sub hac tamen differentia, quod Scotus velit esse quid relativum extrinsecus adveniens; alii verò modum absolutum substantialem. Contra quos

Dico: Non datur modus substantialis quasi nexus medius formaliter uniens naturam humanam Verbo, ita ut nulla alia unio formalis ab extremis distincta reperitur, nisi ipsa relatio consequens ad immutationem passivam naturae humanae ex actione unientis. Prob. 1. ex D. Thom. in 3. d. 2. q. 2. art. 2. Quaestio. 3. ubi sic dicit: Sciendum est, quod in unione humanae naturae ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura conjugatur, quam divine personae. Sicut enim inter materiam, & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis. (alios esse accidentale esset prius substantiali; quod est impossibile) ita etiam inter naturam, & suppositum non potest aliquid dicto modo cadere medium. Et infra dicit, quod inter humanam naturam, & divinam est necesse cadere unionem mediam, non sicut causam, sed sicut effectum consequentem. Et subdit: Undè unio est medium, non sicut assumptionem causans, sed sicut eam consequens. Ex quibus patet, S. Doctorem exclusisse nondum entitatem completam, quae habeat rationem extremi unientis, ut est v. g. calx inter lapides, filius inter pannos assutos, ut volunt quidam Thomistae, sed etiam modum medium formaliter unientem; tum quia dicit, nihil cadere medium inter Verbum, & humanitatem, sicut nec inter formam, & materiam, adeoque omnem medium excludit; tum quia dicit, unionem non esse ut causam, sed ut effectum consequentem; tum denique quia nullibi unquam mentionem fecit istius nexus medii; nequidem hic art. 7. ubi ex professo agit de istiusmodi unione, nullam aliam unionem formalem assignat, nisi ipsam relationem unitorum.

Prob. 2. Ratione. Per id Verbum unitur humanitati, per quod ipsam terminat, & sustentat; atqui Verbum se ipso, seu sola personalitate, omni nexu formali excluso, terminat, & sustentat naturam humanam: ergo. Maj. patet; quia Verbum unitur humanitati per modum termini, & complementi supplens vires subsistentiae creatae, neque aliud est ipsum uniri humanitati, quam ipsam terminare. Prob. Min. Verbum non est minus actus purus, & infinitus in ratione termini naturae humanae, quam in ratione principii productivi; atqui ex hoc, quod sit actus purus, & infinitus in ratione principii productivi, exercitium producens res ad extrà non est aliquid realiter distinctum a virtute productiva, sed actio immanens virtualiter transiens, quae cum virtute ipsa identificatur: ergo similiter exercitium terminandi non est aliquid creatum a virtute terminandi seu

ab ejus personalitate distinctum. Quia verò non potest intelligi Verbum unitum humanitati, quin intelligatur humanitas unita Verbo, sequitur, quod sicut Verbum immediatè per seipsum unitur humanitati, ita humanitas immediatè per seipsam concipitur unita Verbo.

Confir. Subsistentia creata seipsa immediatè unitur naturae creatae: ergo a fortiori subsistentia increata, utpote actualissima in ratione terminandi. Ant. videtur certum; quia terminus seipso terminat, subsistentia autem nullam aliam causalitatem habet circa naturam, quam eam terminare. Insuper, si subsistentia, mediante modo superaddito, uniretur naturae, pari ratione existentia uniretur supposito, mediante modo, & sic modorum non esset modus: sicut existentia seipsa immediatè rem facit existere, ita & subsistentia seipsa immediatè naturam facit subsistere, seu eam terminat. Neque dicas, subsistentiam creatam seipsa terminare materiam, quia est modus; si id enim possit modus, qui est entitas valde debilis, & imperfecta, quidni entitas infinita, & actualissima, qualis est subsistentia Verbi?

Solvuntur Objectiones.

Ad solutionem Objectionum nota 1. Verbum, & humanitatem post unionem hypostaticam consubsistere, & coexistere, cum antea non consubisterent nec coexistissent. Nota 2. Quod, licet natura humana non possit dici rigorosè, & strictè mutata per incarnationem, quia ad strictam mutationem requiritur, quod res, quae dicitur mutari, praesistat ad receptionem, seu amissionem ejus, ratione cuius dicitur mutari; humanitas autem Christi eodem instanti mutari, & assumpta fuit a Verbo: potest tamen largè dici mutata, in quantum cum haberet inclinationem naturalem ad propriam subsistentiam, tracta, & assumpta fuit ad alienam, & prius natura intelligitur producta, quam assumpta. Ista autem mutatio, sive tractio, sive terminatio passiva, est passio, seu modus passionis ab agente in passio: nec potest dici formalis unio, seu nexus medius formaliter uniens; quia unio, seu nexus formalis uniens, si daretur, tantum resciperet extrema, ut formaliter illa ad unitatem redigens; passio autem respicit agens, a quo passum immutatur. Ceterum, si per nexum formalem medium nihil aliud intelligant adversarii, quam istam tractationem, seu mutationem passivam humanitatis, quaestio est de nomine.

Obj. 1. Debet assignari fundamentum relationis inter Verbum, & humanitatem; atqui illud non potest esse aliquid quam modus substantialis superadditus: ergo. Prob. Min. Non est ipsa humanitas secundum se, aliàs omnis humanitas fundaret talem relationem; non est ipsa personalitas Verbi, quia ipsa est terminus relationis: ergo. R. N. Min. Ad probat. N. Conseq. & assigno fundamentum, nempe immutationem realem, seu tractationem passivam humanitatis ad Verbum. Fundatur itaque haec relatio in actione supernaturali unitiva virtualitè transeunte, quae relinquit modum passionis in humanitate; quod nihil est aliud, quam illam naturam passivè fieri dependentem a Verbo, & in eodem esse communicantem. Undè agnoscimus quidem modum superadditum; sed per modum passionis, non per modum formae unientis.

Inst. Fundamentum debet tamdiu manere, quamdiu manet relatio; at illa unio, seu tractio passiva transit cum actione uniente: ergo. R. D. Min. Mutatio, seu tractio passiva in fieri transit, &c. C. Min. In facto esse, N. Manet enim in ipsa natura immutata, & communicata Verbo, seu in ejus dependentia a Verbo; & haec dependentia prout connotat actionem, & passionem, undè emanavit, est fundamentum permanentis relationis.

Obj. 2. & simul inst. cum P. Henno Si non daretur unio ab extremis distincta, non aliter se haberet Filius respectu naturae humanae, quam Pater, aut Spiritus S. ac proinde Filius non esset incarnatus, vel omnes personae essent incarnatae; falsum Consequens: ergo, & Ant. Prob. Sequela; nam, si Filius sit naturae humanae intimè praesens ab ea omninò indistans non solum per immensitatem, sed etiam per propriam personalitatem; ita etiam aliae personae sunt intimè praesentes tum per immensitatem, tum etiam per propriam personalitatem: ergo. R. D. Maj. Si non daretur unio ab extremis distincta, quae sit nexus medius formaliter superadditus, non aliter &c. N. Sequela; quae sit immutatio, & terminatio passiva humanitatis, vel relatio ad eam consequens, C. Et distincta Min. ad sensum Maj. N. Conseq. Solutio patet ex dictis.

Inst. cum eodem. Si non daretur unio ab extremis realiter distincta, SS. Trinitas non causaret hoc mysterium; falsum Consequens: ergo. Prob. Maj. Quia nihil in eo produceret: non quidem divinitatem, aut personalitatem Verbi, cum sint increatae; non etiam humanitatem, cum actioni incarnativae natura saltem praesupponatur: ergo. Confir. Non datur causans, aut producens, nisi detur causatum, & productum, cum sint cor-

relata: ergo. R. N. Sequelam Maj. Ad Prob. N. Ant. & assigno quid producat, scilicet ipsum Christum exurgentem ex Verbo, & humanitate unitis, sive coexistentiam secundum omnes Theologos, & coexistentiam Verbi cum humanitate secundum Thomistas, quæ non esset sine unione: sicut in sententia Thomistarum actio agentis, seu unientis formam materiæ producit compositum, sive utriusque coexistentiam, quæ antea non habebatur. Unde ad confirmationem patet responsio; datur enim causatum, & productum non quidem absolute, & simpliciter, sed secundum quid, id est, de novo immutatum, & communicatum. Non enim ad quamlibet actionem, maxime unitivam, requiritur, quod terminus simpliciter incipiat esse; sed sufficit, quod secundum quid, & cum addito, sicut Verbum, v. g. per Incarnationem non incipit esse simpliciter sed incipit esse homo: ita terminus, quem producit actio unitiva, non est quod aliquid sit simpliciter, sed quod sit sub alio, seu ex una parte terminatum ab alio, & ex alia parte terminans aliud, quod non erat antea.

Repones. In solutionibus datis assignatur quidem terminus totalis actionis unitivæ, scilicet Christus, seu compositum ex Verbo, & humanitate, sed non formalis, qui non potest esse alius, quam ipse modus substantialis medius: ergo. R. N. Ant. Et dico, terminum formalem esse ipsum, Verbum, ut communicatur humanitati, sicut modò dicemus.

Insistes cum eodem. Non datur denominatio nova sine nova forma; atqui Verbum ante incarnationem non dicebatur unitum, & post illam dicitur unitum: ergo datur nova forma, seu unio, non quidem in ipso recepta, cum illius sit incapax, sed recepta in natura humana, & ad ipsum terminata. R. C. totum. Nec enim nos negamus dari unionem, quæ antea non erat, sed novum medium formaliter unientem extrema. Porro ista unio, a qua denominatur de novo Verbum unitum, est ipsa actio unitiva humanitatem Verbo, & immutatio passiva, & dependentia ex illa actione resultans: nisi velis dicere, esse ipsam relationem unionis, ex illa unione activa, & passiva resultatam.

Alie Objectiones facile solventur, attentis prædictis, maxime in prænotaminibus ad sol. Obj.

Corollaria.

EX dictis colliges 1. Terminum totalem actionis incarnativæ, seu unitivæ Verbi cum humanitate, esse ipsum Christum; quia terminus totalis actionis unitivæ duorum extremorum est compositum resultans ex illis, ut patet in generatione hominis; atqui Christus est compositum resultans ex unione activa Verbi, & humanitatis: ergo. Terminum verò quo formalem actionis unitivæ esse ipsam Verbi personalitatem, ut terminantem humanitatem; materialem ipsam humanitatem, ut terminatam a Verbo. Quia in omni actione unitiva id habetationem termini formalis, quod habet rationem actus, & perfectivi; id verò est terminus materialis, quod habet rationem materiæ, & perfectibilis; atqui in præfata actione unitiva ipsa Verbi personalitas, seu subsistentia ut terminans humanitatem habet rationem actus, & perfectivi; ipsa verò humanitas rationem perfectibilis: ergo.

Nec refert, quod Verbum dicatur sustentans humanitatem; non est enim sustentans passivè per modum subjecti recipientis, sed activè per modum actus completis, & perfectientis.

Unde sequitur, quod, etsi daretur modus substantialis medius, de quo supra, non esset tamen terminus formalis Incarnationis, ut falso contendunt ejus Patroni: sicut nec unio animæ cum corpore est formalis terminus generationis, sed ipsa anima, ut corpori communicata.

Colliges 2. actionem unitivam humanitatis cum Verbo, creationem animæ, & productionem humanitatis, licet eodem temporis instanti fuerint, esse tamen tres actiones realiter distinctas; non quidem activè ex parte Dei, qui omnia per unam, & eandem actionem a se indistinctam operatur, sed passivè ex parte termini, quia distinctio realis, & specifica actionum desumitur ex distinctione specifica terminorum: atqui illarum actionum termini sunt distincti formaliter, & specificè: ergo. Prob. Min. Terminus formalis creationis animæ est ipsa anima, terminus formalis productionis humanitatis est ipsa humanitas, terminus formalis assumptionis, seu actionis unitivæ est Verbi personalitas ut communicata humanitati, ut dictum est: ergo. Nec refert, quod S. Leo, & quidam alii videantur asserere oppositum: quia nihil aliud intendunt, quam quod illæ actiones fuerint simul tempore.

Dices 1. Creati, & producti est accipere esse; atqui anima, & humanitas Christi acceperunt esse per assumptionem, seu unionem, non enim habent aliud esse quam divinum: ergo. R. D. Maj. Creati, & producti est accipere esse, sive formaliter, sive concomitantè, C. semper formaliter, N. Explicatur: Creatio, sicut & productio habet duplicem terminum, unum prima-

rium, qui est essentia, alium secundarium, qui est existentia. Licet ergo creatio, seu productio, quando est completa, & non impedita, utrumque terminum attingat; si tamen impeditur, & remaneat incompleta accipiens completum ab alio, non est necesse, quod formaliter seipsa attingat existentiam, quæ est tantum terminus secundarius, ut dixi, sed sufficit quod formaliter attingat terminum primum, scilicet essentiam; secundario per aliam actionem simultaneam producto, sicut fit in præsentia casu.

Dices 2. Ex assertione nostra sequitur, quod prius natura sit producta humanitas, quam unita Verbo; sed hoc non potest dici: ergo. Prob. Min. Quia aliàs B. Virgo non esset propriè Mater Dei, si quidem ejus conceptio, seu generatio ad solam humanitatem completè terminaretur prius natura, quam uniretur Verbo: sicut, v. g. si ignis produceret calorem, & aliud agens illud uniret subjecto, diceretur quidem ignis producere calorem, sed non facere calidum. R. N. Min. Ad Prob. dico, ea non obstante, B. Virginem esse propriè Matrem Dei: tum quia secundum S. Thom. infra q. 32. art. 4. mulier non dicitur generare hominem, quia elicit actionem generativam, sed quia ministrat materiam quod & fecit B. Virgo respectu Christi. Tum etiam quia, dato secundum Medicos mulierem etiam activè concurrere ad generationem, non requiritur ad hoc, ut B. Virgo sit Mater Dei, quod ejus actio uniret humanitatem Verbo; sed sufficit, quod in eo instanti, in quo humanitatem concepit, ipsa humanitas assumpta fuerit ad personalitatem Verbi: quia tunc suppositum Verbi censetur ultimè complere, & terminare actionem generativam B. Virginis, cum præter personalitatem Verbi, seclis imperfectionibus, quod præstisset subsistentia propria, si resultasset. Ad exemplum de igne dico, quod, si actio ignis esset de unitiva caloris cum subjecto aliquo, licet virtute divina aliud substitueretur, talis ignis nihilominus diceretur facere calidum. Unde, cum generatio B. Virginis sit de se unitiva humanitatis supposito creato, licet virtute divina substitutum sit suppositum increatum, potest tamen dici genuisse Christum, seu Deum, & hominem simul.

ARTICULUS IV.

Utrum unio humanitatis, & divinitatis sit substantialis, eaque omnium maxima?

S. Thomas (*Ibid. a. 6. o.*) respondet, hanc unionem non esse accidentalem, sic ut ex pluribus entibus completis proprio esse gaudentibus resultaret unum per accidens, ut volebat Nestorius; neque essentialem, sic ut ex pluribus resultaret unica essentia, seu natura, ut volebat Eutyches; sed esse substantialem, sumpta substantia non per essentiam, ut aliquando sumitur sed per subsistentiam, & hypostasim. Hæc omnia constant ex prædictis. Sed utrum aliquo sensu non possit dici ista unio accidentalis, saltè prædicabiliter, & logicè, ut existimavit Durandus?

Dico 1. Unio naturæ humanæ cum Verbo nullatenus est accidentalis, sed absolute substantialis. Prob. Unio rerum substantialium ad componendam unam personam neque est accidentaliter prædicamentalis, seu physicè, neque prædicabiliter, seu logicè; atqui talis est præfata unio: ergo. Patet Min. Prob. Maj. pro 1. parte. Non est accidentaliter prædicamentalis; quia, & res unitæ, & id, in quo uniantur, & ipsum compositum, omnia hæc, inquam, sunt substantiæ, ut patet: ergo. Prob. pro 2. parte. Licet humanitas adveniat Verbo ut enti completo, & sit extra illius essentiam, quia tamen trahitur ad communionem ejusdem esse substantialis, non potest dici accidens logicum respectu illius, nec prædicari de eo accidentaliter, ut dicit D. Th. ad a. sic v. g. licet corpus sit extra essentiam animæ, & ipsi ut præexistenti reunietur, quia tamen ad ejus esse trahitur, non unietur illi accidentaliter, sed substantialiter: ergo.

Confir. Quando unio est accidentalis, vel per modum accidentis, id, quod unitur, etsi sit substantia, non prædicatur per modum substantiæ, & in quid, sed per modum accidentis, & in quale. Sic v. g. homo non dicitur vestis, sed vestitus; non dicitur albedo, sed albus. Atqui humanitas prædicatur de Verbo per modum substantiæ, & in quid, dicitur enim Deus est homo, & Christus est homo, sicut dicitur Petrus est homo; homo enim, ut docet D. Thom. q. 16. art. 6. prædicatur univocè de Christo, & aliis hominibus: ergo.

Dices: Accidens logicum definitur, quod potest adesse, vel abesse sine subjecti corruptione; atqui humanitas potest adesse vel abesse a Verbo sine subjecti corruptione: ergo. R. Ant. intelligendum esse, quando id, quod unitur, adfert suum proprium esse, non trahitur ad idem esse substantiale cum eo, cui unitur, ut v. g. albedo respectu parietis; secus verò, si trahatur ad idem esse. Sic v. g. corpus potest adesse, & abesse ab ani-

anima sine animæ corruptione per solam corporis destructionem, & tamen non unitur animæ accidentaliter, quia trahitur ad esse illius. Adde, quod, ut aliquid non sit accidens, sufficiat, quod abesse non possit absque corruptione suppositi, si suppositum sit capax corruptionis vel denominationis substantialis. Sic corpus non potest abesse ab anima absque corruptione humani suppositi: similiter humanitas non potest abesse a Verbo, nisi Verbum desinat esse persona hominis, ipseque Christus, ut compositum destruat. Ceterum, si Durandus tantum voluerit, humanitatem non esse de essentia Verbi, & hoc sensu dixerit unionem esse accidentalem, sensus retinendus est, sed modus loquendi ablegandus, ne videamur convenire cum Hæreticis.

Dico 2. (*Ibid. a. 9. o.*) Unio hypostatica, si consideretur ex parte eorum, quæ conjunguntur, non est maxima; si verò consideretur ex parte ejus, in quo conjunguntur, est inter creatas uniones maxima. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Illa unio censetur minor ex parte extremorum, cujus extrema magis distant; atqui extrema, quæ conjunguntur in hac unione, infinitè distant: ergo. Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Tanto major est unio, quanto medium, in quo extrema conjunguntur, est magis unum, & simplex, minusque ab extremis unitis differt; atqui medium in hac unione, nempe persona Verbi, est quid simplicissimum, & maxime unum, & atque cum uno extremo, nempe, natura divina, realiter idem, & unum; cum altero verò, scilicet humanitate, intinè, & substantialiter unitum, ita ut ei tribuat suum esse, suam unitatem, & subsistentiam: ergo. Unde dixit Bernard. l. 5. de Consid. c. 8. *Inter omnia, quæ rectè unio dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres persone una substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua a converso tres substantiæ una in Christo persona sunt.*

Dices: Illa unio est major in ratione unionis, ex qua fit aliquid magis unum; atqui ex unione materiæ, & formæ fit aliquid magis unum: ergo. Patet Min. quia ex unione materiæ, & formæ fit aliquid unum in natura, seu essentia, & in supposito; ex unione autem hypostatica fit unum tantum in supposito: ergo. R. N. Min. (*Ibid. ad 3.*) ad probat. D. Conseq. Ergo ex unione materiæ, & formæ fit magis unum extensive, quia scilicet resultat duplex unitas naturæ, & personæ, C. Conseq. Fit magis unum intensive, N. Conseq. Unitas enim divinz personæ est major, quam sit unitas, & personæ, & naturæ in nobis: in quantum scilicet anima, & corpus uniantur cum imperfectione partium, & in unionem creatam morte solubilem; in unione autem hypostatica uniantur naturæ in unitatem divinam simplicissimam, & incorruptibilem.

ARTICULUS V.

Varie difficultates expenduntur ex cæteris articulis D. Thomæ.

Quæritur 1. utrum unio Verbi incarnati sit idem, quod assumptio? R. 1. (*Ibid. a. 8. o.*) unionem sumptam pro relatione certò distingui ab assumptione, quippe quæ est actio. R. 2. (*Ibid.*) unionem sumptam pro actione uniente etiam differre ab assumptione; quia unio importat tantum conjunctionem extremorum, assumptio importat in assente habitudinem termini ad quem; assumptio enim idem est, ac ad se sumptio. Unde omnis assumptio est quidem unio; sed non e contra. Sic Pater & Spiritus S. dicuntur unire; non tamen assumere. Insuper unio (*Ibid.*) importat relationem æquiparantem, & utrumque extremum æqualiter denominat. Sicut enim dicitur de humanitate, quod sit unita; & de divinitate. Secus autem assumptio, quæ, cum sit actio assumptus, unum extremum, nempe agens, denominat assumens, aliud, nempe passum, denominat assumptum.

Quæritur 2. Utrum in Christo ejus anima sit corpori unita? Responsio affirmativa (*Ibid. a. 5. o.*) est de fide contra quosdam, qui, volentes vitare hæresim Nestorii, dicebant carnem, & animam in Christo non fuisse inter se unitas tamquam partes, quia ex tali unione existimabant necessario resultare personam creatam. Prob. autem responsio; quia fide certum est, 1. Christi corpus esse animatum, ut canit Ecclesia in Festo Circumcisionis: *Animatum corpus sumens*. Non potest autem dici corpus animatum, nisi ipsi uniantur anima. (*Ibid.*) 2. Fide certum est, Christum esse ejusdem speciei cum aliis hominibus; ad rationem autem humanæ speciei pertinet unio animæ, & corporis, 3. Fide certum est, Christum esse conceptum, & natum hominem; terminus autem conceptionis, & generationis humanæ est compositum ex corpore, & anima: ergo.

Quæritur 3. Utrum unio hypostatica facta sit per gratiam? R. (*Ibid. art. 10.*) Si gratia intelligatur donum aliquod habituale animæ, vel humanitati inherens, quo mediante, facta sit Incarnatio, sic non est facta per gratiam, ut patet ex dictis. Si autem gratia (*Ibid.*) intelligatur, vel gratuita Dei voluntas, vel

donum Dei gratuitum; primo sensu Incarnatio facta est per gratiam, tamquam per causam efficientem; secundo sensu est maxima gratia, utpote nullis præcedentibus meritis concessa, ut dicemus infra.

Quæritur 4. Utrum gratia unionis sit homini Christo naturalis? R. gratiam unionis, (*Ibid. a. 11. o.*) sive intelligatur ipsa unio substantialis, sive gratia habitualis, non esse naturalem hoc sensu, quod sit causata ex principiis naturæ humanæ; posse tamen dici naturalem alio duplici sensu. 1. quatenus humanitati fuit collata ab initio conceptionis cum ipsa natura. 2. quia est causata a natura divina, quæ est natura Christi. Simpliciter tamen tam gratia unionis, quam gratia habitualis, sunt quid supernaturale. Quod tradit S. Doctor art. 11. de causa meritoria Incarnationis, discutimus Dissert. sequenti.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA.

De Nestorianismo.

Ad Dissert. præcedentem.

Ventilatis iis, quæ spectant difficultates scholasticæ circa essentiam unionis hypostaticæ contra duplicem hæresim Nestorii, & Eutychetis: nunc præcipua utriusque sectæ facta discutienda veniunt: & primò de Nestorianismo. Unde

SECTIO I.

Synopsis historica Nestorianismi.

Nestorius, Germanicia Syriæ oppidulo oriundus, monasticam vitam in œnobia S. Euprepii prope Antiochiam professus est cum Joanne, postea Episcopo Antiocheno, & Theodoro. Mortuo Sisinnio Episcopo Constantinopolitano, & hujus urbis populo circa electionem futuri Episcopi in varias partes diviso, aliis Proclum, aliis Philippum volentibus, Theodosius Imperator Nestorium tunc Antiochenæ Ecclesiæ presbyterum ad Sedem Constantinopolitanam vocavit, virum eloquentiæ & doctrinæ fama celeberrimæ, qui aliudquæ speciem sanctitatis affectabat. Præceptorem habuit Theodorum Mopsuestenum, a quo hæresos suæ virus de Incarnatione hausit. Inauguratus est Constantinopoli anno 427. Statim post inaugurationem omnibus hæreticis Arianis, Macedonianis, Quarto-decimani, bellum indixit, ut suæ heresi viam patefaceret. Primus ejus sensus est, quod faveret Pelagianis, in quorum gratiam scriperat ad Cælestinum Pontificem Romanum, ut patet ex hujus Pontificis responso. Ipso suæ ordinationis anno primo suam hæresim disseminare cepit: unionem duplicem naturæ in Christo non esse hypostaticam, seu in persona, dixit, sed accidentalem tantum, seu moralem, scilicet, 1. secundum inhabitationem, 2. per conformitatem affectuum; 3. secundum operationem; 4. secundum dignitatem honoris. Ex quo sequebatur. 1. Verbum non esse propriè incarnatum; 2. duas esse personas in Christo; 3. V. M. Virginem non esse Matrem Dei, sed hominæ; 4. non posse dici, Deum esse natum, passum, &c. nec, Deum esse hominem, & hominem esse Deum, ut paulò latius explicui initio præcedentem in Nestorianismo. Hunc hæresiarum scriptis insectati sunt S. Proclum Episcopus Cyzicenus, Marius Mercator, Joannes Cassianus, sed maxime S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui & Cælestinum, I. Summum Pontificem hæc de re monuit: hanc autem litteris etiam convenerat Nestorius. Cælestinus igitur, acceptis, tum Nestorii, tum Cyrilli litteris, coegit Romæ Synodum ann. 430. ex Episcopis, qui tunc in urbe, vel in vicinia erant; in qua Synodo lata est sententia excommunicationis in Nestorium, nisi intra decimum à denuntiatione diem errores suos *aperita, & scripta confessione* damnaret. Insuper Summus Pontifex litteris datis mandavit Cyrillo, ut in causa Nestorii Sedis Apostolicæ vice fungeretur ad sententiam contra eum latam executioni mandandam, & ad providendum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Dedit etiam litteras Nestorio, ut in saniores mentem rediret, & aliis præcipuarum Sedium Episcopis.

Cyrillus, si acceptis litteris, Synodum habuit Alexandriæ ex universa Diocesi Aegypti eodem ann. 430. 3. Novembris, ex qua per Legatos Synodica missa est ad Nestorium, ut mandatis Cælestini obtemperaret: huic autem Synodice subjuncti sunt 12. anathematismi a Cyrillo editi. His morem non gessit Nestorius; quinimò 12. anathematismos blasphemos 12. anathematismi Cyrilli opposuit: Joannem Antiochenum & Syriæ Episcopos contra capitula Cyrilli commovit, tanquam Apollinari erroris conspurcator; atque Theodosium Imperatorem in suas etiam partes inclinavit. Itaque œcumenicam Synodum Ephesi in Asia minore indixit Imperator, missis hæc de re litteris ad Cælestinum Romanum Pontificem, & ad alios majorum Sedium Antistes, vocatisque ex universis diocesis Episcopis.

De Concilio Ephesino in causa Nestorii.

Celebratur S. Synodus ann. 431. cuius initio præfuit solus Cyrillus, tunc jure suæ Sedis à Romana secundæ, tunc ut Sedis Apostolicæ Legatus ad executionem sententiæ in Nestorium latæ, donec Arcadius, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter, à Cælestino Legati adventassent. Venit etiam Ephesum Nestorius cum decem Episcopis sibi addictis. Candinianum Comitum ad Concilium misit Imperator, ut ordinem servari curaret. Hinc etiam appulit Irenæus Comes, ut Nestorium sibi amicum comitaretur, & foveret. Moras ex industria trahente Joanne Antiocheno Nestorii amico, & ipso per legatos annuente, incepta e. Synodus 22. Junii. Decima Julii, post actionem primam pervenerunt Ephesum, & excepti sunt à Concilio prædicti Legati Summi Pontificis, qui cum Cyrillo ipsi Concilio præfuerunt. Damnationi, & exauctorationi Nestorii, tanquam NOVI JUDÆ, in 1. actione decretis, subscriperunt Legati Pontificis in 3. actione.

Joannes Antiochenus statim ab incepta Synodo Ephesum appulsus, in conciliabulo intra proprias aedes congregato, de positionis sententiæ adversus S. Cyrillum, & Memnonem Ephesiorum Episcopum dixit, quasi ille Apollinaris, & Eunomii hæreses in suis Capitulis docuisset; iste cuncta per violentiam in civitate gereret, & etiam excommunicationis in alios Patres, nisi intra constitutam diem, Cyrillo, & Memnone relicto, ad suas partes transiret.

Decima sexta Julii actio 4. habita est, in qua Cyrillus, & Memnon conquisiti sunt adversus Joannem Antiochenum pro sententiâ in ipso ab ipso, & congregabilibus lata. Semel & iterum citatus Joannes per tres Episcopos à Synodo missos, qui à militibus ejus aedes vallantibus indignissime accepti sunt. Quod cum ad Synodum retulissent, Patres decreta à Joanne, & ejus symmisticis contra Cyrillum, & Memnonem irrita pronuntiaverunt.

Die sequenti celebratur actio 5. in qua, citato tertio per tres Episcopos Joanne Antiocheno, fertur in eum sententiâ excommunicationis; necnon in Episcopos, cum eo in schismatica Synodo collectos Ecclesiam turbantes. Utriusque variaz, ac contrariæ gestorum relationes missæ sunt ad Imperatorem, Clerum, Populumque Regiæ Urbis. Princeps, malis artibus Candidiani Comitum in Sanctam Synodum preoccupatus, misit Ephesum Joannem Sacrarum Legationum Comitum, qui, sepositis Cyrillo, Memnone, & Nestorio, omnibus autem aliis in unam Synodum congregatis, res pacifice ageret. Quo valide commota Sancta Synodus Imperatori querelam detulit: simul libellum supplicem eidem Imperatori, pro Sancta Synodo porrexit Regiæ Urbis Clerus: quibus tandem effectum est, ut jussu Imperatoris, convocata Chalcedonem septem ex utraque parte Legatis, & ipsis sepius auditis, sententiæ contra Nestorium latæ annuit Imperator, Maximiano Presbytero in locum Nestorii Sedi Constantinopolitanae successit.

De Pace inter S. Cyrillum, & Joannem Antiochenum.

ANNO 432. Sixto summo Pontifice, Theodosius tentavit concordiam inter S. Cyrillum, & Joannem Antiochenum. Quibusdam interlocutionibus præmissis, per Paulum Emissenum, ad S. Cyrillum Alex. à Joanne Antiocheno missum, pacem tandem inierunt sub his conditionibus: 1. Ut Joannes Antiochenus anathema diceret Nestorio: 2. Ut ejus depositioni assentiretur: 3. Ut ordinationem Maximiani approbare; quibus subscripsit Joannes, fideique confessioni à S. Cyrillo missæ.

Hic observandum est, S. Cyrillum ex œconomia, & studio pacis restitundæ, siluisse de suis capitulis. Unde Orientales occasione suscepit dicendi, ipsum ea retractasse. Aliud notandum; Orientales noluisse admittere communicationem idioma tum, v. gr. Deum natum, mortuum, &c. sed istud apud Theologos ut problema reliquisset.

Ex inita pace subierunt invidiam aliquorum Cyrillus & Joannes Antiochenus. Theodoretus, & alii pauci vitio Joanni donabant, quod non exegisset condemnationem à Cyrillo suorum capitulorum. Alii Cyrillum nimis œconomizæ, ignavizæ, & levitatis insimulabant. Ecclesiarum pace composita, Theodosius Imperator lege lata publicam infamiam notam Nestorianis inussit, edicens, ut Simoniani, non Christiani, vocarentur; & libros Nestorii flammis addidit, eumque e Monasterio Eupropii turbare non desinenter, hortante Joanne Antiocheno, in exilium in Oasim deportari jussit: ubi exca veribus lingua, quæ in Christum, & Deiparam tam horrendas blasphemias evomerat, ex hac vita migravit.

Utrum Nestorius purus Hæresios jure asseri possit?

ALBERTINUS Calvinista, & alii quidam ejusdem Sectæ Nestorium equidem ignorantiz, aut inconstantiz, & etiam pertinaciæ circa prolationem quorundam verborum accusant, at ab errore immemum fuisse contendunt. Contra quos dico: Nestorius verè fuit Hæreticus. Prob. 1. auctoritate œcumenicæ Synodi Ephesinæ, quæ sic loquitur act. 1. *Deprehendentes, partim ex litteris commentariisque ipsius, (Nestorii), partim ex Sermonibus, quos nuper in hac Ephesorum Metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum impie sentire, ac prædicare; coacti per Sacros Canones, & Epistolam sanctissimi Patris nostri, & comministri Cælestini, Romane Ecclesiæ Episcopi lacrimis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum Sententiam necessariò venimus. Igitur Dominus noster JESUS-CHRISTUS, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum, eundem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sanctorum consorcio alienum esse, definit.* Hanc Sententiam S. Synodus ad Nestorium transmisit cum hac inscriptione: *Sancta Synodus... NOVO JUDÆ: Agnosce, te, propter imptas prædicationes tuas, & adversum Canones contumaciam vigesimo secundo die mensis Junii presentis juxta Ecclesiasticarum Sanctionum decreta à S. Synodo depositum, atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum esse. Idem jam definitum, & decretum fuerat in Synodo Romana, sub Cælestino anno 430. & in Synodo Ægyptica, sub Cyrillo, ut vidimus in Synodi Historia.*

Prob. 2. Testimonio veterum: S. Cyrilli in Anathematismis contra ipsum Nestorium, & in Epist. ad Cælestinum Rom. Pontificem: S. Leonis Epist. 97. ad Leonem Augustum: Theodoretus l. 4. Hæretic. fab. cap. 12. Vincentii Lirin. in Commonit. 1. c. 17. Cassiani l. 5. de Incarnat. c. 1. Liberati in Breviario causæ Nestorianæ c. 4. Facundi Herm. l. 1. & aliorum, qui Nestorium, ut hæreticum impugnaverunt. Item Imperatores, Clerus, & populusque Constantinopolitanus, ac tandem universus orbis hunc, ut hæresiarum, & Christi, atque Deiparæ hostem abominati sunt. Summæ ergo impudentiæ est, hunc hominem, tot testimoniis probatum hæreticum, velle ab hæresi absolvere.

Prob. 3. ex ipsis ejusdem Nestorii scriptis. Docuit, hominem in utero Virginis formatum alium esse ab unigenito Dei Filio & Incarnationem esse meram habitationem Dei Verbi velut in templo suo, adeoque duas in Christo personas. Item beatissimam Virginem Deiparam discrete negavit. Sic in anathematismo 1. contra Cyrillum: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius nobiscum Deum, hoc est, inhabitasse eum, quæ secundum nos est, naturam per id, quod unicus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit, &c. anathema sit.* Ferè idem in aliis anathematismis. Sermone 3. *Verbum ergo Deus non est natus ex Maria, sed in illo, qui ex ea natus est, mansit.* Sermone 7. *Non per seipsum Deus est, quod in utero figuratum est.* In libro ejus, prolato actione 1. Concil. Ephes. Quaternione 21. *Hic est, qui triduo mortuus fuit. Hunc autem tanquam divine Majestatis cooperatorem cum Divinitate adoro.* Et Quaternione 16. *Propter gestantem gestatum veneror: propter latentem adoro apparentem.* Sermone 1. *Matrem habet Deus? Ergo excusabilis Gentilitas matres Deis subintroducens... Non, vir optime, Maria peperit Deum. Legatur insuper ipsius Epistola ad Cyrillum, quæ extat 1. p. Concil. Ephes. cap. 9. & ad Cælestinum ibidem cap. 16. & 17.*

Prob. 4. ex Symbolo Nestoriano, quod Charistus Presbyter obtulit Patribus Ephesinis, & referretur actione 6. *Confitemur, (inquit Nestoriani) Verbum hominem secundum naturam perfectum, ex humana carne, & anima rationali consistentem, assumptisse... quem secundum naturam nostram, nobisque similem hominem existentem, Spiritus S. virtute in utero Virginis formatum... inexplicabili quodam modo sibi conjunxit.* Audis hominem existentem, consequenter personatum, sibi conjunxisse: ergo duplex est persona hominis, & Dei, nec unio facta est in persona, sed duæ personæ sunt moraliter, & accidentaliter conjunctæ.

Solvuntur Objectiones.

Obj. contra 1. probationem, desumptam ex auctoritate Concilii Ephesini. Hoc Concilium, maxime tunc cum Nestorium condemnavit, non erat œcumenicum: ergo, Prob. Ant. 1. Tunc nondum advenerant Legati summi Pontificis. 2. Joannes Antiochenus cum suis Episcopis Orientalibus aberat, aberat & ipse Nestorius Episcopus Constantinopolitanus; pluresque contestati fuerant se habituros ut irritum, quidquid absentibus Orientalibus adversus Nestorium decerneretur à Synodo 3. Cyrillus, qui huic Synodo præerat, graves inimicitias gerebat adversus Nestorium: erat turbarum auctor, teste Theodosio Impe-

peratore: sententiam suam contra Nestorium jam dixerat in privata Synodo Alexandrina: erat Ephesi simul Judex, accusator, & testis: tandem suam culpam agnovit, cum potest absolvi ab excommunicatione, quam Joannes Antiochenus cum suis in eum tulerat. R. 1. dato Ant. N. Conseq. Esto enim Synodum Ephesinam tunc non fuisse œcumenicam, inde equidem elevatur; validum enim est argumentum hunc esse hæreticum, quem ducenti Episcopi conciliariter congregati, ut talem damnarunt; maxime si addas, ut talem fuisse prædnamatum à Synodo Romana, & Alexandrina. Sed. R. 2. N. absolute Ant. Ad 1. probationem. R. Antè adventum Legatorum S. Cyrillum, cui summus Pontifex vices suas commiserat in causa Nestorii, ut jam dixi, & dicam infra, hujus nomine Concilio præfuisse. Aliunde Legati ratam habuerunt actione 3. Nestorii condemnationem, actione 1. decretam.

Ad 2. Joannes Antiochenus ex industria moras trahebat, ut Nestorio faveret; annuit tamen, ut ipso absente inchoaretur Concilium: Ephesum vero appulsus, pluries fuit interpellatus, ut relicto conciliabulo, quod intra proprias aedes agebat, Synodo adesse. Item Nestorius ter citatus comparere recusavit. Inter Episcopos autem, quos cum Joanne adduxerat, juxta relationem Synodi, alii erant extorres, otiosi, Ecclesiæque carentes: alii ante multos annos ab hæresi lapsi, & Cælestini, &c. Nestorio depositi: cum ipsis etiam Pelagiani, & Cælestini, &c.

Ad 3. Cyrillus ante lapsum Nestorii erat illi amicus, post ejus lapsum inimicus fuit erroris, non personæ. Theodosius hæc dixit de Cyrillo, falsa amicorum Nestorii relatione deceptus; at postea veritate comperta Cyrillum habuit, ut strenuum Fidei defensorem. Nihil obstat, Judicem pluries per eundem rem ferre judicium; id quotidiana experientia constat. Falsum est, Cyrillum fuisse accusatorem, & testem contra Nestorium: accusatores, & testes erant ipsius Nestorii scripta, & clamores Clerici, & universæ plebis Constantinopolitanæ.

Ad 4. Quamvis sententiâ excommunicationis, à Joanne Antiocheno in S. Cyrillum lata, esset notorie nulla, idque probet sciret S. Cyrillus, at tamen ex œconomia, & ne aliud scrupuli remaneret in animis simplicium, perit ab illa absolvi.

Obj. 2. Nestorius agnovit 1. Christum non esse hominem solum, Sermon. 12. 2. Non esse duos Filios, aut Dominos, aut Christos, Sermon. 11. 3. Naturas duas in unam Verbi hypostasim convenisse, Ep. 2. ad Cælest. 4. B. Mariam Virginem rectè dici posse Deiparam. Sermon. 6. ergo ab hæresi immunis est. R. D. Ant. Hæc omnia agnovit Nestorius sincerè, & sensu catholico, N. Ant. Verbotenius, & sensu hæretico, C. Ant. Quoad 1. agnovit, Christum non esse hominem solum; non hoc sensu quod Deus esset homo, & homo Deus, sed quia homo nunquam extitit sine Verbo, ipsi in ipso conceptu copulatus nexu morali tantum, ut habitatum habitanti. Unde febat, ut esset homo Dei, & Deus hominis, non Deus homo, nec homo Deus. Id patet ex anathematismo 5. S. Cyrilli. *Simulant, inquit, se Incarnationis vocem remittere; verum incarnatum esse revera Dei Verbum non putant, hoc est, hominem esse factum nostri similem. Verum asserunt, sic tanquam in uno quopiam homine ex Sanctorum numero, de Maria Virgine natum, habitasse unigenitum Verbum.* Ad 2. similiter dixit non duos, sed unum Christum, unum Dominum, non hypostasi, sed mera conjunctione morali. Ad 3. sic etiam dicebat unam Hypostasim, seu unam personam unitate morali non naturali, sumens nomen personæ, ut est vox Juris, qua ratione v. g. conjuges dicuntur una persona. Hinc V. Synodus œcumenica anathemate 4. demonstrat, ex Nestorii sententiâ unionem naturarum duarum esse tantum secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut effectum, aut virtutem. Aditque: *Nestorianos Deum Verbum Filium, & Christum vocantes, & hominem separatim Christum, & Filium nominantes, & duas personas evidentè dividentes, per solam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam personam, & unum Filium, & unum Christum confingere.* Ad 4. dixit, sen permisit, B. Virginem dici Deiparam, non quod Deum genuisset, sed hominem unitum Deo, & Verbi Dei templum. Patet ex ejus Ep. 1. ad Cælestinum, ubi dicit: *Ferri potest hoc nomen Theotochom... propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa; non quia ipsa sit Mater Dei Verbi: nemo enim antiquiorem se parit.*

Inst. Joannes Antiochenus, Theodoretus, Acacius Beroensis, quibus apprimè notus erat Nestorius, testantur, ipsum hæreticè non sensisse, sed tantum elapsum esse in voces, quæ emendatione indigerent: additque Acacius, multos Constantinopolim venientes asseruisse nihil à Nestorio dictum, quod in sensu Nicænæ, & Apostolicæ doctrinæ contineret contrarium: ergo, R. laudatos Auctores singularem amicitiaz vinculo junctos Nestorio in benigniore parte ejus verba accepisse, maxime Theol. Billuart. Pars Tertia.

initio, cum non esset constans adhuc de ejus errore omnium opinio; quem tamen postea agnoverunt, maxime Joannes Antiochenus post initam pacem cum Cyrillo, & Theodoretus, qui in Concilio Chalced. Nestorio dixit anathema, & ipsum hæresios probavit Auctorem l. 4. Hæretic. fab.

Repones testimonium Socratis l. 7. Hist. Eccles. c. 32. ita scribentis: *Deum ejus (Nestorii) libros lustrò, hominem imperitum reperio... Nec tamen mihi videtur imitari Paulum Samosatenum, aut Photinum; & Dominum omnino simplicem dicere hominem, sed solum Deiparæ vocem tanquam larvæ reformidare:* ergo, R. dato, quod Nestorius à Photino, & Paulo Samosat. in aliquibus dissenserit, assererat enim hominem unitum esse Verbo per se hypostatico, & Patri consubstantiali, Verbumque Deum fuisse personam autè Mariam subsistentem, quæ duo negabant Photinus, & Paulus; cum his tamen conveniebat in hoc, quod Christum vere esse Deum, Beatamque Virginem esse Dei Matrem, negaret. Insuper vix est audiendus Socrates, cum Theologus agit quippe qui ex aula Scriptor est, nec tanta ejus auctoritas, ut toto antiquitatis monumentis anteponi debeat.

SECTIO III.

De convocazione, & presidentia Concilii Ephesini.

Quis illud convocavit? Quis illi præfuit?

Dico 1. Concilium Ephesinum convocatum fuit auctoritate Cælestini I. Romani Pontificis.

Ad probationem suppono, quod probavi in Tract. de Trinit. Digress. 2. ad Dissert. præc. Sect. 1. Conclus. 1. Prob. 3. solum Romanum Pontificem jus habere convocandi generalia Concilia, sicut solum Rex jus habet convocandi comitia generalia Regni. Qualis enim est Rex in Regno quoad temporalia, talis est summus Pontifex in Ecclesia quoad spiritualia. Hoc supposito prob. Conclusio. Concilium Ephesin convocatum fuit ex consensu Cælestini: ergo ejus auctoritate. Patet Conseq. Quia, licet absolute loquendo idem non sit auctoritas, & consensus; attamen respectu personæ, ad quam spectat auctoritas convocandi Concilium, idem est præbere consensum ad Concilii indictionem, ac illud per alium indicere: penes autem Romanum Pontificem est, ut supposuimus, auctoritas convocandi Concilia. Ant. etiam patet, tum ex Epistola exhortatoria, quam Cælestinus scripsit ad Concilium, tum ex Legatis, quos ad illud direxit, tum quia monitus à Theodosio de mente Cælestini convocandi ipsi annuisti, tum quia Cyrillus, cui Cælestinus vices suas commiserat per executionem sententiæ contra Nestorium late, hac de causa petit à Theodosio juniore Concilium generale, ut refert Eragrius l. 1. cap. 3. Id etiam constat ex variis relationibus istius Concilii, in quibus dicit se convenisse secundum Canones; juxta vero Canonem antiquum, quem Julius Papa in Ep. ad Episcopos Antiochenæ Provincie Apostolicum dicit, quemque Alexandria Synodus in Ep. ad Felicem à Nicæno 1. renovatum esse testatur; Statuit, præter sententiam Romani Pontificis non posse Concilium celebrari.

Dicere verò cum Natali Alexandro, Concilium hoc congregatum fuisse secundum Canones, quia secundum Ecclesie morem congregatum fuit, in quantum priora Concilia, nempe Nicænum à Constantino, Constantinopolitanum I. à Theodosio seniore convocata fuerint; falsa est responsio ex falso supposito; probabimus enim in Tract. de Trinit. loco cit. Concilium Nicænum non fuisse convocatum à Constantino, nisi ex assensu, & auctoritate S. Sylvestri. Quantum ad Constantinopolitanum I. non fuit œcumenicum, nisi ex post facto. Vide Ibid. Digress. 4. Et dato hoc supposito, non potest dici factum secundum an Cones Ecclesie, quod esset factum directè contra jus, & canones illius. Multa congerit idem Natalis Alexander tum ex ipso Concilio, tum ex ipso Cælestino, & aliis, ut probet Theodosium juniorem convocasse Concilium, jussisse congregari Episcopos, &c. Hæc non inficiamur, sed nobis, & conclusioni nostræ sufficit, id à Theodosio factum fuisse, annuente, & consentiente Cælestino.

Dico 2. Concilio Ephesino sub ejus initium præfuit S. Cyrillus Alexand. nomine Cælestini Pontificis; post actionem verò 1. præfuerunt Legati Cælestini, Arcadius, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter. Prob. 1. pars ex ipso Concilio actione 1. quæ ibidem dicitur habita; *considentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis, & sanctissimis Episcopis Cyrillo Alexandria, qui, & Cælestini quoque sanctissimi Romane Ecclesiæ locum obtinebat, & Juvenali Jerosolymorum, &c.* Ex Menna Constantinopolitano Episcopo in Professione fidei, quæ inserta est in constituto Virgillii Papæ, ibi enim de Synodo Ephesina loquens, sic ait: *In qua in Legatis suis atque Vicariis id est, Beatissimo Cyrillo Alexandria urbis Episcopo, Arcadio, & Projecto Episcopis, & Philippo Presbytero, Beatissimi*